AD
NOBILISSIMUM
DOMINUM
GULIELMUM Comitem DEVONIÆ, &c.

De Mirabilibus * Pecci,

* The Peak.

Carmen

THOMÆ HOBBES.

ALpibus Angliacis, *ubi* Pecci *nomine, ſurgit*
Derbenſis *regio, montes ad ſydera tollens,*
Fœcundaſq; riguns, non uno flumine, valles,
Stat Chatſworth *præclara domus, tùm mole ſuperba,* Chatſworth. Mirab. 1.
Tum Domino, Magnis, celerem [a] Deroentis *ad undam:* [a] Derwent.
Miranti ſimilis portam præterfluit Amnis,
Hîc tacitus, ſaxis, infrà ſupràq;, ſonorus.
At Mons terga domûs rapidis defendit ab Euris,
Oſtendens longè exertis juga conſita ſaxis,
Præſectoq; die, producens tempora ſomni.

Summovet à tergo rupes gratissimus hortus,
Pinguis odoratis ubi tellus floribus halat;
Arbor ubi in mediis [a] *sylvis sibi libera visa,*
Dat fructus injussa suos; ubi frondea tecta
Arboreis præbent invito frigora sole
[b] *Porticibus, potiora tuæ* (Maro) *tegmine fagi;*
Ars ubi (dissimulans artem) simulavit (ineptos
Consocians ferro lapides, guttáq; peresos)
Informes [c] *scopulos, & frigida fontibus antra.*
Libera nativis *veniens à rupibus unda*
Accedit positis, [d] *patrio captiva metallo,*
Et tellure latens, duplicem jaculatur in orbem
Jussa, suum laticem, per mille foramina cæca,
Et scopulum complexa tenacibus undiq; [e] *venis,*
Jussa fugat misso subeuntes desuper imbre.
Hinc avecta creat sublimem marmore fontem,
Atq; ingressa domum Promos conserva Cocosq;
Adjuvat; in mediis surgitq; penatibus, alto
Infundens nitidam manibus de marmore lympham.
Et quamvis tubulis tantùm effluat illa quaternis,
Non tam [f] Calliroe *pulchrè fluit* Enneacrune.
Rejecto paulum fluvio, sese ingerit horti
Angulus alterius, tecta alta à fronte videntis.
Disposita hìc gemino collucent ordine [g] *stagna,*
Immersum tremulis undis quatientia solem,
Queis magno numero salit & lascivus inerrat.

[a] Prunetis in ipso horto, sylvas imitantibus.

[b] ambulationibus.

[c] Rupes arte compositas.

[d] Plumbo, quod in eâ regione, terra effoditur.

[e] tubulis plumbeis.

[f] ns *Athenis* sacer, m effluens fistu-

[g] inæ;

Non intellecto conclusus carcere piscis.
Quàm juvat, hîc, quoties piscatrix candida prædam
Abjicit illectam, morem observare puellis
Innatum, captare viros, & spernere captos!
Quàm libet in mediis mirari fluctibus, alto
Aggere suspensos hortos! Quæ Cæsare *moles*
Digna, Cavendisiâ *certe est in gente, pusillum*
Fœmineumq; opus. At quota pars ea, laudis Elizæ
Salopicæ? *quæ multa, & magna palatia struxit;*
Magnas divitias; magnamq; bonamq; paravit
Famam; quæ magnos sibi conciliavit amicos,
Ornavitq; humiles; Multam, *magnamq; reliquit*
[a] *Prolem, qua regio latè nunc usq; beatur.*
Quàm dulce est, inter, circumq; nitentia stagna
Insternente vias, æstivâ semper, arenâ,
Discipulum memet naturæ tradere rerum;
Aut Domino *exiguum meditari carmine* [b] Munus,
Et multum Musis, describere rura, rogatis.
Commodiore loco non usquam habitare, nec usquam
Candidiore frui Musæ censentur amico.
Hinc, ad tecta, solo surgente, ascenditur, Extrà,
Augusta aspectu, sublimia, Regia; & intrà,
Commoda, culta, capacia, splendida, ditia tecta.
At tu marmoreis quæ sint descripta figuris
Picta Poetarum, priscorum aut facta virorum,
Ne cures, duro nec certans marmore Gypsum.

Ingenuos

[a] Comites Devoniæ, Novi-castri, Kingstona, nepotes Comitissæ Salopiensis.

[b] Hoc ipsum;

Ingenuos nec tu cupias numerare ministros;
Sed Dominum, mea Musa, colas, cui gente vetustâ
Orto, dat titulos Devonia, Derbia [a] *Curas.*
Acrem judicio; constantem pectore; lautum;
Utentemq; opibus, luxu sine, & inter amicos.
Ille Chori vestri summum decus; ille benigna
Otia dat Musis; sed & illi Musa diserto
Ore loqui, atq; animo secernere turpia honestis.
Tum [b] *Dominam spectes, altâ de gente* Brusorum
Magnanimo proavos spirantem pectore Reges.
Amborumq; vide Sobolem, imprimisq; [c] *Puellam*
Dignam, qua caleant Superi, binosq; [d] *Puellos*
Angelicos, casti communia pignora lecti.
Hos tu mireris, sobolemq; & utrumq; parentem;
Cætera quæ referes miracula, sunto minoris.
Alti *censentur septem miracula* Pecci.
Ædes, Mons, Barathrum, *binus* Fons, Antraq; *bina.*
Scilicet illæ ipsæ, quas jam memoravimus, Ædes
Ornatæ, tot sunt inter miracula, primæ.
Intra has, de Reliquiæ orto sermone quibusdam
Est visum, promptis rerum perdiscere causas,
Et mihi (namq; operæ pretium est) ea visere mira.
Anni tempus erat quo tellus fœmora solvit;
Et vitreum sectis absterserat alnus aristis
Jam Phœbus *rorem, cum tecto excedimus, Ipsi,*
Duxq; viæ, serenusq; (sed ille vicarius) annus.

Egressi

[a] Præfecturam militiæ in agro *Derbens.*

[b] *Christianam* Comitissam *Devoniæ.*

[c] Dominam *Annam Cavendyshi.*

[d] *Guilielmum* nunc *Comitem Devoniæ,* cum fratre *Carolo.*

gressi anferimur portis, petimusq; propinquam
ilsley, dein Hassop, *salebroso tramite. Montem*
Hinc celsum, acclivemq;, gradu lento, & pede lasso
candit equus, summumq; jugum mox calcat anhelus.
Conversi miramur aves jam repere segnes,
Atq; humiles claro transfigi vertice nubes.
Chatsworth *jam punctum,* Deroen *jam linea curva*
Vix iter inceptum sequimur, cum levia montis (est.
Asperitas crebro lacerari vulnere terga,
Latèq;, egestâ [a] *liratim, albescere terrâ.*
Est sublime solum, tenuiq; friabile glebâ,
Quod ne quando suâ possit subsidere mole,
Natura ingenito suffulcit provida saxo.
At saxum innumeris divisit in ordine rimis,
Ater opum Dominus. Cunctasq; ita solis ab ortu,
Duxit in occasum, non ut sensisse calentem
Lampada Phœbæam, sed & aspexisse putares.
Condidit his sulcis melioris cruda metalli
Semina, solari post perficienda calore,
Tutanda intereà duræ munimine rupis
Ditis *avara manus frustrà. Nam nec satis igne*
Concoquit obliquo Sol Plumbi terrea frusta,
Nec custodit humus sibi credita. Viscera terræ
(Certus opum quacunq; latent regione repostæ,
Insidiator) homo, ferro pervadit & [b] *igne.*
Saxea plumbiferæ rescindit tegmina venæ,
Exhauritq;

[a] Ordinatim, tam series fodinarum unde hauritur plumbum, parallelæ sunt. Anglice vocantur the Rakes.

[b] Nam saxum quo plumbi venæ continentur, eâ est aliquando duritie, quæ non nisi igne vincitur.

Exhauritq;, audax jam, paupertate jubente,
Tartarei prædo fiſcum ſpoliare Tyranni.
Haud impune aliquando. [a] *Duos telluris in imo*
Deprenſos gremio, Mors occupat, atq; profundo
Oppreſſos tegit, ipſi quod fodère, ſepulcro.
[b] *Spiramenta (tubis ægrè admittentia* [c] *iniquis*
Quos caſtigato detrudit inedia ventre)
Ligniculis intùs [d] *vincit, venamq, ſequntas*
Materie foſſas ſuſtentat, gnara pericli,
Atq; experta, diu jam gens [e] *damnata metallis;*
Ut non incautos ſcires periiſſe, ſed Orco
Quæſitos. Terræ hic ſubducit fulcra caducæ,
Expreſſaſq; animas, vicinis congregat umbris.
Corpora corporibus quærunt. Sic credita ſæpe eſt
Emiſſa amiſſam monſtraſſe ſagitta ſagittam.
Ante pedes unum terrà jacet ecce cadaver
Effoſſum; noſtriq; monet meminiſſe. Cadaver,
Marcida, iners, patris, noſtriq; ſimillima res eſt.
Alterum adhuc tectum tellure, [f] *reſurgere corpus*
Expectat. Sedet, egeſtæ ſuper aggere terræ
Turba ſupina locis ſpectatum egreſſa propinquis;
Ploranteſq; duæ mulieres. Altera ſueta
Gaudia perdiderat; ſpem amiſerat altera dulcem.
Alterius flammam, longus reſtrinxerat uſus;
Alterius, ſpes effræniſq; libido ſciendi
Foverat ardentem. Plorant utræq; Maritum.

[a] Contigit prætereuntibus nobis, è duobus qui ruinâ foveæ oppreſſi tuerant, unum extrahi, alterum quæri.
[b] Fovearum ſpiracula.
[c] Arctis.
[d] Conſtringit, ut diſtineantur foveæ latera.
[e] Quam ad opera damnavertas paupertas.
[f] Extrahi.

Illa

Illa quidem luget, luget magis altera ſponſum.
Deploranto. Via qua cœptum eſt pergimus ire.
Jam pede mille quater paſſus numeramus equino,
Et toties ſocium ſpatiis pes quilibet æquis
Præteriens, terram alterno percuſſerat ictu.
Anteit umbra pedes, monſtratq; brevisſima, [a] *qua ſtat*
Titan *parte poli, & quam nos ſpectamus euntes.*
Linquimus opidula hinc atq; illinc plurima. Quorum
Poſtremùm tantùm Romanè *dicere* [b] Spes *eſt.*
Cætera non referam impedientia nomina verſum.
Per loca tranſverſis longè latèq; fodinis
Plena, ſoloq; cavo, & pleno mortalibus intùs,
Ingredimur [c] *ſuperi; medio tonat ungula Campo*
Feſtinantis equi; atq; unâ, aut paulo amplius, horâ,
Præcipitis ferimur ſubita ad declivia montis.
Pronum erat hinc vicum ſubjectum intrare cadendo.
Sed nobis ambage viam & cauto pede tritam
Ire placet, primùmq; ad dextras Sole recepto,
Et mox converſis lævo deſcendere eodem,
Paulatim, & pedibus noſmet concredere noſtris.
Conſcenſis hîc rurſus equis, ſub Monte ſiniſtro,
Intramus pagum qui ſummâ in rupe locatum
Aſpectare jubet, [d] *deducto nomine, Caſtrum.*
Caſtrum non aliquo bellorum inſigne labore;
Non magnum, non artis opus ſpectabile; noſtris
Impar tormentis, nec inexpugnabile priſcis.

[a] Umbra breviſſima, ante pedes projecta, arguit, & ſolem meridianum, & nos ad Aquilonem converſos.

[b] Hope.

[c] Supra capita agentium ſubtus in cuniculis.

[d] Caſtleton.

Antiquum tamen & ſaxo ſuper ædificatum,
Suſtinet annorum, ventorum incommoda temnit.
Forſitan & Dominis ſub plumbi-potentibus olim
Latronum potuit ſubitos arcere tumultus.
A Caſtro *ſtatim mons ſciſſus, detumet ambas*
In partes; velut inclinato corpore noſtro
In crura extantes detergent utraq; clunes.
In medio ſinus eſt: atq; erectiſſima utrinq;
Rupes quæ ingenti redituram pondere terram
Deſtinet, & tutis ſuccedere ad intima præſtat.
[a] *Jam ventum eſt (pudet effari)* [a] Plutonis *ad* anum,
(Ut vocitant pleriq;) loci vocat incola, Peak's-ars.
Nobile ſuſpenſis aperitur rupibus Antrum,
[b] *Ignoto tibi Phœbe loco, ſed ſegnibus Urſis*
Obverſo, & reliquis mergi metuentibus aſtris.
In ſpeciemq; patet furni, vel qualiter Orci
Ora perhorrifico pinguntur hiantia rictu
Poſt Ite *auditum, turbam ſorbentis abaëtam.*
Sublimes intramus equis. Tecta intus, & altos
Suſpicimus cumulos detonſi munera prati.
[c] *Sed cœlum attoniti miramur ſaxeum; ut ingens*
Suſtineat montis, nullo fulcimine pondus;
Laudamuſq; tuas æterne Geometer artes.
Cernimus & denſo colatam fornice lympham
Guttatim elabi, & ſolidâ tellure receptam,
Æquoream in patriam reditum jam nunc meditari;

Jam

[a] Orci culum. Angl. The Devils Arſe. Mirab. 2.

[b] Quò nunquam pertingunt radii ſolares.

[c] Lacunar ingens.

De Mirabilibus Pecci.

Jam nunc exiguis properare canalibus, undas
Quærentem ſocias, & fortiùs ire parantem.
Jamq; Amnes, ipſis videor didiciſſe magiſtris,
Non fieri, ſalſum terrâ potante, liquorem
Littora ad ipſa maris, quaſi celſis montibus ipſe
Celſior Oceanus concluſam expelleret undam;
Sed mare Phœbæâ *tenuatum ſurgere flammâ*
In Cœlum; actumq; Æoliis errare miniſtris;
Mox Phœbo *fallente algens, totâq; receptâ*
Naturâ, in terras fletu deſcendere; & eſſe
Flumina collectas lachrymas. Placet ima cavernæ
Umbroſæ, illatâ penetralia viſere luce.
Deſcenſos ab equis, antri virguncula civis
Præcedit, formoſa ſatis, nimiumq; puella,
Datq; animos greſſuſq; regit jucunda [a] *Celeuſtis.*
Primumq; ingreſſis [b] *confuſo lumine, ſenſim*
Accedunt cantes utrinq;, diemq; recurvis
Extinguunt ſinubus. Tùm demittentia ſeſe
Arcto [c] *quadrupedes admittunt fornice ſaxa.*
Erecto rurſùm rurſùm mox corpore prono
Pergimus, alternâ pecudes homineſq; figurâ.
Donec tranſverſo tandem prohibemur ab amne.
Amnem quem clauſum fert ſub tellure canalis
Hactenus, hîc humili patitur ſpirare ſub arcu;
Exitq; interdum non irrevocabilis unda,
Nunc ſpeculatores propiùs, nunc longiùs arcens.

[a] Vox nautica, hortatrix.
[b] Miſto, ex cœleſti & lychneâ.
[c] Nos, penè proſtratos.

Huc nobis, ultrà nulli licet ire. Nec est fas
Credere narranti vetulæ de patre, quod olim
Lychnorum ingressus librali fasce, fluentum
Tunc [a] modicum tranavit, & ulteriora sequutus,
Tantum ivit, quantum licuit remeare [b] timenti
Incidere in noctem. *Remeamus, & altiùs, antè*
Signatis, uda imprimimus vestigia arenis.
Exuimus noctem, diasq; recepimus oras
Cùm emersis, ante ora, poli Mons, æmulus alti
Tollitur, avulso præceps ceu fragmine murus.
Defluere æternùm perhibent à vertice terram,
Nec tamen imminui montem. Mirabile dictu,
Constaret si certa fides. Sed acutus arenâ
Labente, agnascens tumulus, tacito indicat auctu,
Continuum hunc fluxum primùm cœpisse ruinâ
Ingenti, æquatoq; habiturum culmine finem.
Quemq; vocant alii correpto nomine Mam-Tor
Rectiùs hũc Clivũ videor mihi dicere Mam'd-Tor,
Quod sonat Angligenis Clivus Mutilatus, *& ipse*
Mons, nomen magnà Mutilatus parte fatetur.
Progredimur, versi ad lævam, duo millia passûm,
Ad septam muris, dictamq;, sine arbore, Sylvam,
Peccanam. *Cervos nudis in montibus urit*
Acris hyems, nullà tectos à frigore fronde;
Sicca æstas, nullà tectos à solibus umbrâ.
Sæva hominum, canibus sociis, lascivia multos,

[a] ...etulæ ridicula narratio.

[b] Faciliùs tranavit ...ia minime altum. ...idiculum. Noctem timuit in ...luncâ tenebrosissi... Ridiculum.

Mam-Tor. ...irab. 3.

...cau-Forest.

Multos

Multos ſæva necat varii inclementia cœli.
Et Fovea *abſorbet non magnam* Eldenia *partem.* Elden Hole. Mirab. 4.
Eſt ea terribilis ſciſſæ telluris hiatus,
Quem dignè ut memorem veterũ undiq; convoco fruſtrà
Concilium ; nam tale nihil finxere Poetæ.
Tentandum tamen ; & primùm quam formâ habet oris
Muſa refer ; formæ ſimili componito. Magno
Nam potes exemplo parvis componere magna.
Dic tandem ; dic ſummiſſè ſoli mihi, in aurem.
Obticet [a] *obſcœnæ ſibi conſcia virgo figuræ.* [a] Eſt enim Foveæ os, formâ cunnoeides.
In latere herboſi collis, paſcentia circùm
Deſtituens armenta ſolum, rimâq; ſecundo
Monte patens, auras atro inbibit ore ſequaces.
Quod procumbentes oculis de margine pronis
Cùm inſpicimus, vaſtum inſpectantes terret inane,
Subjectumq; horrens animus videt infinitum.
Et quamvis tutos jam ſecuroſq; tueri
Continuo ſtantes hortentur marmore ripæ,
Non animis eadem ſpondentibus, ora Barathro
Demimus, & diro regnatis Dite tenebris.
At lapides toto ſparſos conquirimus agro,
Verbere qui tandem per longa ſilentia miſſi,
Quis ſit eis doceant (ſi quis ſit) finis eundi.
Miſſi ſubſidunt lapides, feriuntq; cadentes
Cæcam (ſed longo feriunt poſt tempore) rupem.
Inde docent decies repetito verbere lapſi.

Deceptos

Deceptos decies necquicquam quærere fundum.
Tùm verò ardemus, ſi vis reſpondeat æqua,
Ingerere integras turres, & tecta (ſi adeſſent,
Et non anguſto tellus nimis ore negaret)
Tota ſimul, totoſq; altos ibi perdere montes.
Quod licet, immani defixum pondere ſaxum,
Vi multâ eruimus, pronâ & tellure volutum
Siſtimus ad ſacrum limen. Tum talia famur.
'Umbrarum præfecte Deus cruciatibus, Ecce,
'Securi noſtræ ſortis, certiq; ſupernæ
'Jampridem ſedis (ni nos tibi concolor author
'Fallat) tormentum jam inventis addimus unum.
'Pone ſub hac rimâ, tibi ſiqua ſit umbra rebellis,
'Inſigniſve fide violatâ. Subde *Simonem*,
'Aut *Judam* (*Judam Iſcarioten.*) Subde *Gigantes*.
'Contriti fient Umbrarum protinus umbræ.
'At vos, ô animæ, quibus incaluere retentis
'Cognita amicorum, dilectaq; corpora nobis,
'Ferte pedem retro monitæ, & non temnite dicta.
Sic fati, lapidem demittimus. Ille per auras
Stagnantes, densâ merſus caligine fertur
In ſcopulum. Gemit horrendum percuſſa Caverna,
Colliſæq; cient altè ſuſpiria moles.
Excuſſum primo, ſcopulus mox excipit alter,
Audito ſonitu nobis minùs, at magis Orco.
Territat arrectis jam ſtantes auribus umbras

Tertius,

Tertius, atque minùs quartus propioribus ictus.
Quid moror? undeno, [a] *dentatum guttur Averni*
Verbere dum transit, se & tunc lapis ire susurrat.
Post id, quicquid iners aër vix auribus adfert,
Non sonus est, sed imago soni. Vento ocyùs umbræ
Diffugiunt, Erebiq; tegi sub fornice certant.
Intereà infernas percurrit in ordine Sphæras,
Descendens tacitè saxum. Confinia Ditis
Attingit, [b] *vacua evertitq; sedilia Patrum.*
Inde per intensum festinans labitur [c] *ignem,*
Candentesq; animas (tubulorum more recoctas
Fictilium, quos, transmissâ fuligine, pinguis
Infecit Peti fumus) cœloq; locandas.
Infantumq; [d] *semel natorum pervolat* [e] *orbem.*
(Inscius admissi, pœna luit [f] *inscius, infans.)*
Ultima tùm subiens, infandaq; Tartara, centrum
Transit (at hæsurum promiserat [g] Entelechia,
Credenda umbra tamen) fundumq; ascendit ad imum.
Et redeunt trepidi Manes residente favillâ;
Quos inter timet, & fert unus Sysiphus ægrè
Successisse suo graviori pondere saxum.
Fertur ad hoc Antrum venisse Lecestrius heros,
Dudleius, *notus comes is regnantis* Elizæ.
Ille inopem quendam parvo (sic credimus) ære
Conductum, & longo succinctum pectora fune,
Instructum conto, Pelleam imitante Sarissam,
Exploratores

[a] exertis cautibus asperum.

[b] nam Limbus Patrum jamdudum vacuus.

[c] Purgatorium.

[d] non regeneratorum.

[e] Limbum.

[f] pœnas, non sensit at damni.

[g] Umbra *Aristotelis.*

[a] Exploratores cophinoq; ferente lapillos
Demitti, & mediâ jussit pendere Cavernâ.
Inde jaci lapides, atq; auribus aëra pronis
Captari, inde cavum propiùs scrutarier altum.
Descendens pavidè miser, accedentia saxa
Nunc removet conto, nunc desiliente lapillo
Calculat immensum spatium, numeratq;, quot ictus,
Tot mortes; & fila timet pendentia vitæ,
Ne quis lascivus secet, injussuq; Sororum.
Postquam bis centum sub terram circiter ulnas
Mersus substiterat, funemq; tetenderat omnem,
Satq; diu tenso de fune pependerat, Antro
Extrahitur, cupido Heroi responsa daturus.
Verùm, sive metus mentem expugnaverat ingens;
Sive celer motus torti vertigine funis
Immodicâ, Solio Rationem excusserat alto;
Sive Erebi, sive ipsa sui jam spectra timoris
Pallida terruerant; sive arcem mentis abactæ
Spiritus inferni possederat improbus Orci;
Haud dubiè furit infœlix. Sic lumina torva,
Mutatusq; color, pallor, tremor, omnia monstrant.
Ergo ubi non cuiquam intellecta profuderat, & quæ
Æquabat magnis [b] sententia nulla Prophetis,
Conticuit, Manesq; dies post octo [c] revisit.
At Comes audito quo [d] pertinet usq; Caverna,
Horruit, & (non hâc, neq; nunc subiturus) abivit.

Hinc

[a] quibus decidentibus exploraret foveæ altitudinem.

[b] quia ea loqui quorum nulla est sententia, commune est vatum, insa ientiumq;.

[c] Mortuus est a Pbræneste.

[d] Pertingit. scilicet ad Inferos.

Hinc centum paſſus decies numeramus, & ecce,
In valle occultâ, radicibus exilit imis
Graminei Collis, gemino Fons ore perennis. Fons ækuans. Mirab. 5
Quem quoniam immenſi mirandos æquoris æſtus
Ludere in exiguâ fama affirmaverat undâ,
Viſum eſt (quantumvis Phœbo properante) morari
Pauliſper, ſi forte aquulæ miracula detur
Aſpicere admotis, & famæ teſtibus eſſe.
Quæ vitreis ebullit aquis tremula unda, duarum
Major, ſplendidiorq;, & poſcens ſola videri,
Excipitur puteo, ſtructis non æquiparando,
Sed qui fortuito quovis ornatior ortu eſt.
Inde ſoluta fluit, niſi quæ fundo retinetur
Lata duos cubitos, tres longa, unumq; profunda.
Unum dico ſuo quando contenta liquore
Subſidet, at binos quando hoſpite tollitur undâ.
Labra reclinatæ ſignabat ſaxea ripæ
Linea, quam latices ipſi fecere tumentes,
Subnigris ſaxis modò detumuiſſe reperti.
Ergò ceſſatos iterùm expectare labores
Tædet, & improbius viſum eſt. Diſcedere prorſus
Admotis properamus equis. Jam jamq; abeuntes
Concuſſis revocamur aquis. Liquidoſq; videmus
Attolli latices, ſenſimq; irrepere ſaxis.
Jamq; ferè pleno ſaltabat fervida fonte
Lympha, velut rabidus cùm ſubditur ignis aheno,

Neſcia ſtare loco, refugit ſævum unda metallum,
Cùm juxta fontem, condicto rivulus ortu
Erumpit ſubitò, ſuperinfuſoq; liquore,
Præſtat aquæ ſolitos auctæ contingere fines.
Quo perducta, iterùm decreſcit, & illico rivi
Deſuper immiſſi reſtinguitur impetus, & quæ
Reſpuerat, repetit ſitiens ſua pocula Tellus.
Diſtracti laticis pars effluit altera ripis
Fontis; pertuſo infertur pars altera fundo.
Furtaq; muſcoſis erepta leviſſima ſxais,
Graminaq; & paleam & tenuis præſegmina chartæ,
Sive aliud quicquam parvâ ſuperabile lymphâ
Injicimus, rediens infert in viſcera terræ.
Jamq; humili fonti, proprius vix conſtitit humor,
Cùm redeunt fluctus; Iterùm ceu febre laborat
Unde tremens; iterùm æſtuat; auctaq; lymphis
Externis, iterùm [a] *tropicam contingere metam*
Sufficit, accepto velans ſua littora fluctu;
Atq; iterum reſidet. Sed nos vetat [b] *umbra morari,*
Umbra giganteas mentita Coloſſea formas.
Maturamus iter, ſed quærimus inter eundum,
Conamurq;, omni collato diſcere ſigno,
Abdita quæ tantum concivit cauſa tumultum.
Nam neque Salſedo, neque quid commune marinis,
His reperitur aquis; Phœbes nil imputat aſtro
Fons hic, temporibus nec tollitur (ut mare) certis;

[a] no provectâ ſolebat reſecare.

[b] olis jam occidentis.

Æſtibus

Æstibus his nullam præfigit Ephemeris horam.
Ergo quid in causâ est? Paucis sic accipe. Prodit
Quæ tellure cavâ, fontiq; illabitur unda
Advena, non istûc proprio delata canali
Pervenit, atq; volens alienos occupat ortus.
Sed dum ductricis sequitur vestigia lymphæ,
Longinquosq; petit, per terræ viscera, fontes,
Intrat in angustis subeunda meatibus antra.
Huc quoties humor tumefactâ defluit undâ,
Præcipitiq; aditum comprendit flumine totum,
Protinus aura locum conclusa tuetur, aquisq;
Pernegat ingressum, nec habens quò cedere, pugnat,
Vtq; est deprensâ nihil obsirmatius aurâ,
Sustinet urgentes exili corpore lymphas.
Tùm, conferta velut si portis irruat arctis
Turba, hærent, ipso defixi in limine, primi;
Quæ sequitur stat pro foribus stipata caterva,
Parsq; urget socios, alias dilabitur & pars
Quæsitura vias: Exclusus defluus humor
Intumet, impatiensq; moræ, expatiatur, & errans
Fertur in hunc fontem, lentarum impulsor aquarum.
Hinc fit post magnos guttis pluvialibus imbres
Transmissis, æstus fieri crebros, & in horas,
Fluctum (ut nunc) vicibus tolli, & subsidere ternis.
Sed post continuis tellurem ardoribus ustam,
Vix semel in toto cerni hæc miracula mense.

Jam noſtros fugiens viſus, Auriga diei
Antipodas totâ luſtrabat Lampade; nobis
Languida ſuccenſæ præbebant lumina nubes.
Et ſimul ad celebrem tepidis deponimur undis
Buxton Well. Mirab. 6. Buxtonam. *Divæ ſacer eſt fons inclytus* Annæ:
Ambas miſcet aquas calidæ gelidæq; miniſtra
Tellus; ſulfureiſq; effundit Pharmaca venis.
Hæc reſoluta ſenum confirmat membra trementum.
Et refovet nervos lotrix hæc lympha gelatos.
Hûc infirma reguni baculis veſtigia claudi;
Ingrati referunt baculis veſtigia ſpretis.
Hùc, Mater fieri cupiens, accedit inanis,
Plenaq; diſcedit, puto, nec veniente marito.
Excipitur, fermè quadrato fonte, ſerena
Naſcens unda, & quinq; pedes vehit alta natantes.
Spectator muris, & recto excluditur imber.
Hoſpitioq; eadem gratiſſima balnea noſtro
Conjungit foribus paries communis apertis.
Ergo placet, coquitur dum ceſpite cœna cremato,
Defeſſos lymphis refovere tepentibus artus.
Protinus exuti, nitidis illabimur undis,
Nudaq; perſpicuis velamus corpora lymphis.
Nunc facie pronâ namus; nunc nare ſupini
[a] Indocti nare, aquam imbibimus. *Tentamus.* [a] *Bibimus. Nec enim omnia poſſumus omnes.*
Poſtquam vexatis per totam fluctibus horam
Luſimus; egreſſi ſiccis lodicibus udi

Induimur.

Induimur. Mox quisq; suo vestimur amictu.
Vestitos stratis expectat cœnula mensis.
Nox atra intereà simul evolat omnibus antris.
Et victrix tenebris involverat omnia cæcis,
Donec succensis infertur cœna lucernis. Cænula.
Jam nobis lixæ *non integra balnea* ovillæ,
Sed modicum juris, [a] *consultis ponitur. Ipsa* Jus.
Tùm caro [b] *conditis thermis educta, seorsim.*
Atq; ovis *ejusdem fumans à cuspide* [c] lumbus.
Et nuper rupto gallinæ [d] filius *ovo.*
Pisaq; *quæ nobis converrat cochlear uncta.* Pisa.
Ditia cùm frustrà quærantur pocula Bacchi,
Ollâ subridens bibitur cervisia *nigrâ.*
Cœnati peto *somnos arcessimus hausto.*
Postera Phœbæos ducens Aurora triumphos
Nondum vulgares Cœlo dimoverat ignes,
Cùm somno excusso tepidis immergimur undis.
Rursus, & inficimur penitus medicante liquore
Jam dibaphi; atq; iterum rorantia corpora lectis
Reddimus, & nonà de somno surgimus horâ.
Unica restabat, verùm dignissima visu,
Haud procul hinc Spelunca Poli, *sic dicta Caverna.* Poles Hole. Mirab. 7.
Insignis latro Polus, *&, si credere famæ*
Debemus, furi par Caco, & forte coævus,
Hac usus latebrâ consuevit vivere rapto;
Atq; viatores spoliandos ducere in Antrum.

[a] Interrogatis, an apponi placeret.
[b] ovilia elixa, jusculo extracta
[c] ovillæ assatæ.
[d] pullus.

Verum

Verum & ei ſolenne fuit conjungere furtis
Cædem; Sic texit ſcelera authoremq; Caverna.
Hanc inſpecturi penitùs, ductore perito
Cæcarum aſſumpto imâ ſub tellure viarum,
Eximus, pedites collem petimuſq; virentem,
Diſtantem noſtrâ vix paſſus mille tabernâ.
Ipſas ad montis raduces, concava tellus
Proſtratis aditum pertuſa foramine præbet
Exiguo, minùs at præmiſſis invia[a] *plantis.*
Omnes cancrino greſſu, ſumptáq; lucernâ
Quiſq; ſuâ, tandem tranſmittimur, erigimurq;.
Antrum, horrendum, informe, ingens aperitur. Et atra
Diviſa in partes nox diſſilit atrior ambas.
Aſperaq; apparet Latronis, *& horrida Saxis*
Regia. Percuſſum rutilo micat igne lacunar.
Progredimur. Pedibuſq; admoto lumine cautis,
Saxa ingentia, roſcida, lubrica, & ardua ſcanſu,
Libera, corruitura ſemel, nunc ergo timenda,
Saxoſæq; feros montes valleſq; Cavernæ
Tranſimus; fluviumq;, ſuas qui diſſipat undas
Cæcus in objectas impingens murmure rupes.
Qui ſcandet rauco ſurgentem à flumine montem,
Ille licet ſudetq;, pedeſq; manuſq; fatiget,
Diſſita ab introitu ſtadiis tribus, ultima opaci
Pertinget (multo vobis audacior) Antri.
Speluncam *hanc credas habitatam Gorgone primùm*

Angui-

[a] pedibus.

Anguicomâ, & verſa in rigidum ſic omnia Saxum.
Nam lapis eſt, quodcunq; vides. Laquearibus altis
Quæ ſicci tibi terga Suis pendere videntur,
Dentibus haud cedent. Durum ſunt utraq; ſaxum.
Non eſt ille Leo, Leo, quamvis erigat hirta
Colla jubâ, ſedeatq; Antri ferus incola cæci,
Sed fulvus lapis. Ille Senex qui rupibus aſpris
Inniſus recubat cubito, pars rupis & ipſe eſt.
Quæq; laconari ſcintillant Aſtra micante,
Sunt nitidi illatâ gemmantes luce lapilli:
Guttaq; *quæ ſaxi mucro nunc pendet acuti,*
Numquid & illa lapis? lapis illa vel eſt, vel erit mox.
Admoti exceptam digito deprendimus eſſe
Nec Lapidem, nec aquam, verum mediâ inter utrumq;
Naturâ, qualiq; tenax humore farina.
Detinet intentos dum [a] *transfuga lympha, lucernæ*
Curtæ perplexâ ſuadent exire Cavernâ.
Sed priùs ad lævam remeantes, undiq; ſaxo
Obductum plano, Furis, nulloq; madentem
Rore Poli *thalamum, lecti, laſaniq; capacem,*
Inſpicimus. Superis tum demum reddimur oris.
Jam tepido feſſos ſudore rigaverat artus,
Scandendiq; gravis labor, & formido cadendi.
Reptantumq; manus obleverat humida tellus.
Verùm ante ora ſpecus turba officioſa, lavandis
Præbebat manibus permiſtam floribus undam.

[a] transfugiens à naturâ aquâ ad ſaxeam.

Scilicet

Scilicet exigitur tacitè pro munere nummus.
Rectè. Namq; hærent sordes utcunq; lavemur
Ni (quamquam levibus) referatur gratia donis.
Omnia jam Pecci *Miracula vidimus* Alti,
Buxtonamq; *iterùm perlatis, & citò pransis*
Adducuntur equi, nos qui inter nubila vectos,
Sollicitèq; decem numerantes millia passûm,
Per non insignes Chelmarton, Sheldon, & Ashford,
Ad Chatsworth *referunt celerem* Deroentis *ad undam.*

FINIS.